



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1618. usque ad annum 1620

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1777**

**VD18 90118847**

§. 47. Pauli Æmilii Sfondrati Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67326)

Sæc. XVII.  
A. C. 1618.

## §. XLVII.

*Pauli Æmilii Sfondrati Cardinalis  
obitus.*

**H**orum inaugurationi locum dedit quatuor Cardinalium decessus, ex quibus prior Paulus Æmilius Sfondratus patria Mediolanensis die decima quarta Februarii Tibure e vivis excessit. Hic anno Salutis nostræ millesimo quingentesimo sexagesimo primo clarissimo genere natus, virtutum exercitia cum eruditionis laude mirifice conjunxit, atque utriusque jurisprudentiæ scientia imbutus, Abbas & Sacerdos, a Gregorio XIV. Patruo suo absens, anno ætatis suæ primo supra trigesimum Cardinalis tit. S. Cæciliæ nominatus est, tanta apud eundem Pontificem auctoritate prævalens, ut præcipua Ecclesiæ munia obeuns, omnem ferme Pontificii imperii molem sustinuerit, quin tamen ex tot Sacerdotiis, aliisque proventibus ditesceret, sed fictilibus duntaxat patinis in mensa uteretur, non alio ex fine, nisi ut omnes divitias in egenos, & Dei cultum profundere posset: Præprimis vero Ecclesiam Sanctæ Cæciliæ, cujus Sacrum Corpus ipse effossa humo invenerat, vetustate collapsam reparabat, & picturis, statuis,

*Ciacon. in  
vita Greg.  
XIV. p. 224.  
Silos in Hist.  
Cler. Reg.  
Attichy in  
hist. Card.*

Sæc. XVII. candelabris, & argenteis lampadibus  
A. C. 1618. exornabat: quatuor quoque Capellanos, Clericosque binos victu & congruo reditu assignato instituit, arcamque argenteam, in qua præfatæ Sanctæ corpus reconditum fuit, pretio quater millium trecentorum nonaginta trium aureorum confici iussit: Sanctimoniales insuper magnis auxit beneficiis, Lauretanam quoque domum pretiosis donis locupletavit, ac denique Sanctam Cæciliam, cujus Ecclesiæ Sanctorum Reliquias quamplures argenteis aureisque thecis inclusas dono dederat, hæredem dixit, legata etiam potissima Sacræ suppellectilis parte: Albanensis quoque Ecclesiæ, cui Episcopus præerat, universos redditus, ceteramque pecuniarum summam ex reliquis Sacerdotiorum proventibus in illius gregis beneficium commodumque erogavit: Nec tamen sibi suæque saluti minus prospexerat; quippe rerum cælestium meditatione, & consuetudine Virorum morum sanctitate illustrium præcipue Julii Sansedonii, & Joannis Vitellii delectabatur; sæpe nudis cubabat asseribus, pedesque sacco indutus, & vultu, ne agnosceretur, oblecto septem Urbis Ecclesias religiose lustrabat, & non raro, ut animum virtutum exercitiis, & orationis usu recrearet, in  
 Thea-

Theatinorum Patrum Cænobium sese Sæc. XVII.  
 recepit, ubi dies plures in rerum Di- A. C. 1618.  
 vinarum commentationibus, Sacroque  
 quodam otio transigebat. Tandem ve-  
 ro quinquaginta septem annos natus  
 pie in Domino obiit: Corpus ejus Ro-  
 mam translatum ad S. Cæcilie pedes  
 in sepulcro, quod sibi construxerat,  
 humatum quiescit.

§. XLVIII.

*Erminii de Valentibus Cardinalis  
 decessus.*

Alter ex Purpuratis, qui hoc anno de- Ughell. in  
 cesserant, erat Erminius de Valen- Ital. Sacra.  
 tibus Trivii in Umbria natus. Hic ra- Ciaccon. in  
 ra ingenii ac memorie felicitate præ- vita Clem.  
 ditus, non modo humanioribus literis, VIII.  
 sed & legibus tanto profectu studuit,  
 ut jurisprudentie laurea decoratus,  
 Romæ per plures annos Caussidicum  
 ageret, atque a Petro Aldobrandino  
 Clementis VIII. Nepote a secretis, tan-  
 dem Basilicæ Vaticanæ Canonicus eli-  
 geretur, postea Cardinalis renunciatus:  
 Erat vir morum comitate singularis,  
 officiosus erga omnes, & maximopere  
 liberalis in egenos. Mortuo paulopost  
 Clemente VIII. pauper Cardinalis re-  
 mansit, cum nullus ei esset Ecclesiasti-  
 cus proventus, donec a Paulo V. S. Per-